

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 72. (Neovidensis 1807. Nro. 71.)

### *Politicum mortuorum Colloquium.*

Elysium-Meum. - Die Martis 15. Septemb. (Neovid. 1 Sept. 1807.)

Dania ad Angliam.

Tu quid ego, et populus, mecum desideret  
audi. *Horat.*

*Dani veteres in Elysio.*

Sapientia insignis Salomon, postquam aetate gravis, facta, et eventus sui temporis per vices repeti recurrereque animadvertisset, dicere solebat: *Nihil novi sub sole*, id ipsum assererebat aetate venerandus quidam Danus; postquam iniquas Anglorum adversus Insulam Selandiam adgressiones comperisset, populares sui temporis antestatus, recensebat res suo tempore gestas ordine sequenti:

*Hafniae die 30. Dec. 1659.*

Hafnia olim triplici vice obsidione premebatur, at tres inter obsidiones una solum ab extraneis copiis suscepta fuit; videlicet Anno 1658. quæ exemplum clarissimæ, cujus Annales meminerunt, defensionis:

Obsidiones, quibus Anno 1522 et 1526 premebatur, nequaquam tam memoratu dignae sunt; Urbis Hafnia, eo adhuc tempore exiguae considerationis, illimitata se fide

*Christiano II. e domo Oldenburgica*, quem Nobiles in societate *Gustavi Vasa*, et *Friderici I.* solio deturbare adnisi, obstrinxerat; hic ipse Rex est, quem coævi scriptores Neronem Septemtrionis adpellaverunt, qui nihilominus non tum tyrannide, quam temeritate reformationisque violentia excelluit; metropolis ejus oblivisci non potuit, quæ gravissimis quamquam magnificisque obsessa operibus, tamen nequidquam se *Friderico* dedere voluit, octo se mensibus defendens, licet quadrimestrem solummodo moram profugo regi pollicita; post decursum annorum 14. Incolæ Hafniæ denuo experiri volebant, *Christianum II.* solio majorum restituere, in quo consilio quatuor supra decem mensium obsidionem sustinuerunt, nec alia, quam extrema necessitate adacti, ratione deditionem fecerunt; Verum hac civilia et interna erant bella, tumultus et rebelliones rectius compellanda; in quibus *Svecia*, et vicini *Status Daniæ* regnum in obsequio et arbitrio suo tenebant. Verum! Anus illuxit *Seculi XVII. 58*, quo *Hafnia* gloriæ fastigium, nominis attigit immortalitatem. *Carolus X. Gustavus* e domo *Bipontina Svecorum* Rex, insatiabili occupationum faciendarum cupiditate præditus, et jam multiplici successu belli præferox, domito *Saptemtrione Europæ*, *Daniæ* aristocraticam eorum regiminis formam habenti, pacem extorserat, quæ *quinarum nobilissimarum provinciarum* jacturam tulit, pacis tractatus ab utraque parte confirmatus, cessæ provincie traditæ, utraque gens plena pace

fruebatur, cum ecce repentino aetus consilio *Carolus X Gustavus* bellum orditur; nec ultra id denunciatis Insulam Selandiam occupat, spe Hafsiæ obruendæ. Mensis Sextilis recte agebatur, quæ et hodie Angli *Caroli Gustavi* iniquam agendi rationem imitandi consilia habent.

Verum politica Daniæ adjuncta fatali Anno 1658 longe diversa erant, quam hodierna sunt. Ei cum hoste experiendum fuit, qui invicti nomen ambiebat, formam rigiminis aristocraticam, unionis et soliditatis expertem habebat, pro defensione sui nihil præter reliquias devicti exercitus opponere feroci tumidoque victoriis hosti poterat, omnisque spes nitebatur Classe Batava, quæ in auxilium ventura ferebatur, et pusilla Braudeburgicorum manu; hæc erant adjuncta, sub quibus Svecicus Lauriger, felicem consiliorum suorum exitum procul omni dubio sibi pollicebatur; omnis Dania intra munimenta urbis continebatur, et hæc multo debiliora erant, quam ut tam validis operibus resistere valerent, nec pluribus quam mille regularis militiæ viris defendebatur; Urbe cadente, *Carolus Gustavus* universam Scandinaviam sceptro subjecisset, totique Septentrioni Europæ vincula imposuisset; at at nullo unquam tempore politica quædam peristasis magis in irritum ac hæc cecidit.

*Die 8. Augusti* terrore perculsi Coloni adcurrere, nuncium ferentes Hafniam: Regem Svecorum navibus ad australem Selandiæ oram adpulisse; 11. proximis metropoli collibus potitus, iis insedit. Senatus ex nobilibus conflatus,

præcipuos urbis Cives cœgeras, ii:que die 10. Aug. declaraverat: Urbem Hafniam deinceps Statum regni reputari, civesque Jarium et privilegiorum, queis nobiles ad hoc temp. gaudebant, participes consortesque futuros; nec mora vix Decretum hocce palam pronunciatum est, undique clamantium voces resonabant *ad moenia, ad valla!* Senatores! aulici, sacerdotes! Cives! vosque litterarum alumni! omnes advolarunt, ad valla urbis perficienda, decretum fuit suburbia demoliendi, aggeresque, qui inter paludes urbem ex parte continentis ambiunt, melioris defensionis ergo deserendi.

Menti propemodum impervium est, quæ ratio fuerit, quod Carolus Gustavus assultum discernere distulerit, moramque a panico, quo correpti terrore, spiritum colligendi civibus dederit; nempe: visio Unionis, et alacritatis Danicæ virum, qui Poloniam et Germaniam citra difficultatem peccurrerat, percussit, obicemque ei iniecit; ipse munimenta struendi necessitatem expertus est, manum effodiendis vallorum castrensi-um ductibus admoveere coepit, cuniculisque du-  
cendis ad urbem accedendum.

21. Aug. Sveci urbi ignitos globos injicere cœperunt. Verum cohors 300 virorum e fabris lignariis et murariis conflata, undique excubans tam egregie munere suo fungebatur, ut quamvis, quæ erupit, flammam e vestigio compescuerit, sopiveritque.

Mense Septembri arx *Coronaeburgum* deditione per Svecos capta est; res tormentaria hujus munimenti pro Hafnia collocata est, ag-

geribusque Sundico freto obversis imposita, ad Classem Batavam, quæ obsessis in auxilium adventabat, ingressu prohibendam.

October novo eventu fatalis erat obsessis; Sveci quaquaversus effusi Insulam *Omagriam* in ditionem suam redegerunt, cujus jactura tanto gravior Danis accidit, quod ex ea plurimum comineatum acceptaverint.

Tandem post duorum ferme mensium nubila benignus illuxit Phoebus! Il Calendis Novembris quibus Batava Classis, nihil in contrarium valentibus, quos Sveci ex præsidio Coronæburgo et Helsinburgo copiosos ejectaverant, ignibus, Sundicum felicibus auspiciis perripuit; Classem, quæ ei obviam processit, Svecicam adorta, proelioque fudit; eodem tempore armatæ Danorum naves Hafnensi portu solvere, cumque Batavis se conjungere; pronum est mente assequi, quanta obsessi incesserint lætitia, dum victricem lauroque hosti detractadecoram Classem portumsubeuntem conspexissent, comineatum, arma, militem laborantibus advehentem; post 6 hebdomadam lugubre silentium clangor campanarum, gaudii index, iterum audiebatur, organorum sonus annunciabat in templis grates Altissimo pro lata, de qua pene desperabant, salute. Carolus Gustavus cuniculorum laboribus missis, ab obsidione usque desistendum ratus, quo incidente bruma, in glacie assaultum tentare, sicque pertinacem urbem sui Juris facere, sibi que subjicere valeat.

Ex 22 Decembre Sveci non destitere Danos vexare, opinione ducti: alacritatem animi

eorum infractum iri; continuis vicibus silente nocte inconditum clamorem excitarunt, quo audito Dani Svecos instare opinantes, arma corripere, muros conscendere, omnia ad elidendos hostes præparare; id genus stratagematum plura adhibita; unum juvabit exemplum in medium adducere: quadam nocte Svecicum agmen candidis indutum tunicis urbi accedebat, sperans per albedinem nivis cui vestis color similis erat falli aciem oculorum Danicorum posse; verum omnes has insidias, molimina et callida hostium, consilia Danorum elusit, et elisit solertia et vigilantia. Tandem illud illuxit tempus, quo sors urbis et regni dirimeretur, sæva bruma quasvis aquas densissima glacie cooperiebat, lectissimi Svecorum viri assultus initium facere jubentur, nox 11 et 12 Februarium intercedens tragico operi destinatur; ipse Svecorum Rex, Mars alteri sui temporis, summam rei moderatus, assultumque dirigebat, qui ex plaga occiduo et austro intermedia suscipiebatur, in qua minoribus solum munimentis murus simplex imminebat, quem armata civium manus defensura incolebat, parti, quam oppugnator in latere habebat; munimenti insidebat, et propugnabat Palladia tribus; omnia in numero erant.

Pronum est intelligere: Regem Sveciæ locum principem adgressionis intelligenter admodum elegisse; medio tempore, quo lectissimum militem in Cives et litterariam juventutem educerat, alias copias in Batavos, aliosque regulos milites expediens eosque impeti jussit; voce

et imperio regis sui animati Sveci, admirandæ alacritatis virtutisque edidere specimina; in glacie progrediebantur, scalas oppugnationi servientes conscendebant; at vix summum pertigere, eadem, qua enisi, per oppugnatos alacritate rejecti, et in praecipitium lati; erroneo iudicio deceptus rex: copias suas in urbem penetrasse, eaque potitas esse, ipse gaudii plenus secundariae copias in complementum victoriae adduxerat, verum paullo post edoctus Duces ductoresque militum suorum partim cæsos, partim sauciatos in loco pugnae procubuisse, quo, gravi, ut facile adparet, animi cum dolore comperto, receptum caedere jubet, pacem, quam perfide ante violarat, restaurare admissus.

Illustris Triumphalis dies Danis inexpectatus advenit, ubi cadavera hostium cruori innatantia oculis usurpavissent; hicque libertatem Daniae in aevum firmaturus fuisset, nisi inopinata Batavorum perfidia intercessisset, qua respublica haec eam nominis gloriaeque claritatem, nobilitatemque obscurarat, cujus spe, ob praestitam adflictae, et exitio proximae Daniae opem, jure merito teneri poterat; Hi Batavi, Anglicanis fulti auxiliis, erant, qui tranquillam provinciae Scaniae possessionem Svecis exoperati et cur?ne fortes Dani utriusque Freti Sundici orae dominari, atque eam Juri suo obnoxiam facere possint.

### *G e r m a n i a .*

*Litteris de 17. Aug. Venetiis significatur: Cattarensis munimentum cum omnibus Castellis Gallicis per Russos traditum esse; aliae Vindobona indicant: cursorem in urbem ac aulam adpulisse, cum officioso nuncio: portum memoratum die 7. gallicanis traditum copiis.*

Generalis Dux *Berthier* (frater V. Connetabilis Imperii) Memelia discessit, septem Insularum rempublicam ad rationes, ut videtur, regis Neapoleos Josephi, possessionem aditurus; — In argumento Cessionis VII Insularum ex parte Russiae in Tabulis Pacis Chronopolitanae nec vola, nec vestigium reperitur, secretum proin Articulum fuisse conficitur; fortassis et plures adhuc arcani Articuli luci publicae successive edentur. Secundum rerum, qui constat, ordinem, Russias quivis politicus in Germaniam influxus interceptus est, atque in plures continentis Status; et ex his rationibus nullum etiam foedus unionis initura est.

Vigore Edicti Regis Borussiae de dato 10. Aug. *Memelia* Borussici Officiales captivitate excedentes, cum omnes servitiis admoveri nequeant, dimidium stipendium percepturi sunt, possuntque, emergente munere successive proponi; *Berolini* vero die 25. Aug. sequens Jussum prodit in lucem. Quicumque fundorum possessorum fundos in laeva Albis ripa possidet, hisce certior redditur: nemini in Borussia domicilium figere integrum esse; sub poena amissionis Juris haereditarii; &c. in conformitate dispositionis Codicis Napoleonis, in ea regione vim legis obtinentis. Quapropter servitiis Borussicis excedendum, patriamque repetendam habent,

Anglicus Admiralis *Gombier* Proclamationem edidit, qua Danicam Classem ad deditionem provocat, spondens: eam ab Anglis intactam, ut primum pax coaluerit, restitutum iri. Distat praestanda, a promissa fide. — Ex Insula *Delholm* Sveci Stralsunda recedentes urbem hanc validis ignibus impetebant. Galli consensu navibus ad Insulam adpulere. Svecos adorti et 600 eorum in captivitatem abduxerunt.

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 72. (Neovidensis 1807. Nro. 69.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Elysium-Meum. - Die Martis 8. Septemb. 1807. (Neovid. 25 Septem.)

*Nova politica.*

Politicæ novitates quod attinet, advertendum occurrit, nondum ea votis conformia esse; Angliæ adhuc bello immoratur, nec ulla authentica se præbent amicis Tractatibus, in quos ea propenderet, indicia; id notatu dignum: a Rege hodiernum Statuum Conventum prorogatum esse; eo ipso tempore, quo concertationes super gravibus adeo argumentis occõeperunt, nec ad finem perducta sunt. Singulare videtur: a Rege Conventum Ordinum ante aliquot hebdomades per Mandatarios inchoatum, et nunc etiam per eodem prorogatum esse, cum tamen alias cardinalem hanc regii muneris obligationem in persona executus sit.

Angliæ cum America ratio ex sequentibus dignoscitur; Vashingtonio die 3 Julii: Hesternò Praeses nostrae reipublicae admodum acrem proclamationem in argumento indignationis pleni, qui cum Classicula Chesapeake contigit, casus, edidit, et vulgavit; digna hæc libero, et independente populo; In ejus procæmio adumbrat, agendi, quæ respublica nostra, præesente hoc belli tempore,

us, rationem, et neutri belligerantium parti  
 addictam hospitalitatem, quam erga quasvis  
 quovis tempore exercuimus et adhibuimus,  
 nationes; id modo dolet: hanc hospitalitatem  
 a plerisque Britannicarum navium rectoribus  
 per violentos actus adversus personas, et  
 res Americanae reipublicae Civium elisam  
 esse; fuisse hoc argumentum plurimum  
 Tractatum cum Anglicano regimine, quod  
 abusibus occursum iri etiam pollicebatur;  
 verum enim vero: tantum abest ut reos me-  
 rita poena manserit, aut melior agendi ratio  
 secuta sit, ut potius novus casus omnem in  
 hoc genere adhibitam agendi rationem aspe-  
 ritate superaverit, omnique, qua hactenus usi,  
 cunctationi terminum posuerit. His prae-  
 missis narrat Praeses: ut factum fuerit: quod  
 Anglicana linealis navem mediae molis Ame-  
 ricanam hostiliter invaserit, aliquotque ejus  
 incolas adprehenderit; sub his (prosequitur  
 orator) adjunctis hospitii Jura desinunt, con-  
 tra: eorum exercitium occasionem solummo-  
 do suppeditaret plures patrandi laesiones;  
 pacemque cum M. Britannia interrumpendi,  
 et sub his adjunctis M. Britanniae argumen-  
 tum isthoc, dum pro praestanda satisfatio-  
 ne interpellatur, dispiciendum est. Jam ve-  
 ro jubet Praeses: ut quaevis naves Britanni-  
 cae e vestigio portibus Americanae reipu-  
 blicae facessant, utque ingressu iis deinceps  
 omni interdictum sit, omnis conversatio  
 cum iis, et eorum milite penitus vetatur,  
 et quisquis adjutor in navigando, aut vi-  
 tualium &c. subministrator fuerit, poena a

lege definita pleotendus pronuntiatur, ab hoc Jussu et lege exceptio sola obtinet in navibus litteras publicas advehentibus, aut in necessitate constitutis, aut quas hostis persequitur; in quibus nihilominus casibus confestim altiori loco relatio praestanda erit.

*Londino 11. Aug.* Occasione discussionum in argumento generalis status negotiorum externorum die 19 h. m. D. Canning, a Secretis Status in Curia Inferiore inter cetera haec prolocutus est; Quaeitur: an directa aliqua communicatio ab Russia Angliae, quod ad mediationem inter hoc Imperium et Galliam facta sit? respondeo: omnino talis modi communicatio locum habuit, verum non erat illi species communicationis Tractatus inter Galliam et Russiam adnexa; nec specialis Articulus, qui ad mediationem relationem haberet, nec ullus alius Articulus; communicatio, ejus memini, 2. Augusti ad nos perlata est. Sua vero Majestas ex ea certior facta non est, de conditionibus, quae Tractatu Russico cum Gallia in argumentotermi definitae sunt, intra quem Anglia in argumento oblatae mediationis declarationem edendam haberet. Articulus hic Tractatus, prout et quivis alii, Suae Maj. Ministris eo prorsus, quo reliquis omnibus, medio, videlicet ex gallicis Ephemeridibus innotuerunt; Sub his adjunctis nihil ad talem communicationem sequi poterat, quam conditionata responsio; ut haec responsio proprie adornata, et comparata sit? me Curiae de praesenti indicare nequaquam posse, res ipsa docet; Quod ad relationem nostam cum

America boreali, sciendum est; a ministris hodiernis in argumento omnium quaecunque in materia Tractatus cum Americana Republica ante acta sunt, nihil mutatum esse, et in causa ejus, quod in americanis maribus evenisse fama fert, nullae relationes, aut representationes, nec ex parte Statuum Americanorum, nec ex parte Anglicanae legationis in America, perceptae sunt. Ceterum declarationem a me nemo credo expectabit: quem nam influxum revolutio in solis Constantinopoli ad conditiones habitura sit, sub quibus Sua Majestas parata est ad pacem cum Porta conficiendam. Prout et natura rei perhibet: me uberiolem de expeditione Classis ad Fretum Sundicum sermonem ducere haud posse "

#### D A N I A.

Ex Holsatia (20 Aug.) Hafnia non tam facile nuncii percipientur, quoniam Angli in utroque freto navibus ultro citroque discurrunt. Novissimi de 15 erant — Litterae vero privatae de 20 Aug. ex Holsaticis ditionibus sequentia complectuntur:

„Ipso hoc tempore (ita habent) Hafniae peregrinus comprehensus est, et in vincula conjectus, qui medio ardentis taedae turrim pulverariam succendere voluit. Coronae princeps jussus dedisse dicitur: in casu etiam infelicissimo Classem succendendi navibusque flammam subjiciendi potius, quam pro quocunque orbis proemio eam dedere; Cum Jakson duodecim horarum cunctationi tempus dare vellet; reponebat; nec totidem secundorum

minutorum tempusculo sibi opus esse ad animo, quod oportet, decernendum.

In arduo et terrifico, quod vivimus, discrimine, actutum Jak-onii in Mari Balthico iter, argumentum nobis est solatii, et auxilii divini. Dum Roma Carthaginensem Classem extradari peteret, bellum internecinum praecesserat, et Anglia adversus Daniam nec adparentes querelas producendo est; Regem Generalis Adjutor *Lindholm*, qui vi muneris, semper Principem per fretum traducendi honorem habet, inter 12. et 13. ex Selandia in Fioniam comitabatur. Et D. *Jakson* eodem tempore in freto discurrebat; Multae naves Anglicanae bellicae conspiciantur: quidam navis officialis progressus ad Danicam navigationem explorandam; Rex et coronae princeps non agnoscebantur.

Cum vero Officialis neque pro pace, neque pro bello rationem agendi inire sciret, *Lindholm* per id eum prorsus attonitum reddidit; quod Generalis Adjutoris uniformem indutus vestem de impertienda sibi satisfactione verba fecerit, et ad Anglicam navem se ducendum peteret; in qua in Comitatu duorum Adjutorum Coronae principis qui militares se Officiales dicebant, vocationis a Stipendiis exacto tempore, suas legiones repetentes; satisfactionem, et libertatem postulabat; hocque vigore animi retento, principem suum per medium hostium saluum traduxit. Nuncii de Die Solis vespere 6. hora Hafnia adpulere. Angli usque eum diem eo nondum adpulere, usque 17. spera-

batur necessariis, adjunctis temporum accommodis, defensionis remediis finem impositum iri. Nullus ad labores cogebatur, quod necessarius miles se se ultro, operamque offerret; Collegium Mercurialium conspicuam summam pecuniariam ad excipiendos patriae defensores in vallis, contulit et conflavit. Fama volat: Ducem Augustopolitanum, pluresque alios publico fungentes munere, ab Anglis transitu per fretum prohibitos, rumor quoque circa Albim inferiorem discurret: quasi Angli intra 16 et 17 cum exercitu adpulissent, Nuncium hodie 2. pomeridiana Altonam allatum nihil horum meminit, videturque omnis haec fama ex eo ortum trahere, quod Angli cum aliquot Centuriis ad desolatam adpulerint regionem; vasa aquis replendi gratia, quin actus hostiles exercuerint. Gallicus Hafnia legatus Kielam sospes pertigit. In hac urbe Coronae princeps perdius et perniox negotiis vacat; Kielensis urbis cives, et studiosa Juventus Centurias erigunt, ad oram usque *Fridericam* custodiendam; Altonae alter terminus defigitur ad bona Anglicana minutim definienda. Ex Classe Anglicana *Dr. Thomson, Cobburn*, et Tribunus *Sontag*, periodum itineris *Brunsbütelam* usque susceperunt, ubi quatruiduanam moram exacturi. De praesenti omni regioni trans Albim muniendae opera locatur; Quanta infortunii vis fuerit, quod Anglia Daniae adstruit, ea nihilominus decuplo major ejus incidet capiti. Die 17. ex parte Gallica valla pro *Stralsunda* inchoata sunt.

*Grandes Eventus politici.*

Die 16. h. Anglorum dena aut duodena milia in Selandiam adpulerunt; plurimi eorum Scoti 18. duabus solum horis Hafnia distabant; aliquot Anglos et Danos praelia intercesserunt, sed absque effectu; Anglicanae naves a liquot Bombardas Hafniae iniecerunt; haec peristasis brevi post finem sortietur; Angli in Selandia, et utroque freto atque Sundico firmum pedem figent, at quamdiu? usque hyems ingruerit.

Die 20. Stralsunda Gallicis copiis se dedit. Rex Sveciae cum plerisque copiis, et adparatu bellico, Dicasteriisque Malmoam remigavit. Poliorceticam nihilominus penum tam facili opere navibus subito imponere nequivit, quae Gallicis copiis in praedam cessit. Pomerania igitur Svecica nominis subibit mutationem, nec Svecica audiet posthac amplius.

*Parisis 21. Aug.* Sua Serenitas Caesarea Princeps Catharica Vittembergica hodie vesperi 8. hora ad palatium Thuilleras adpulis, ei occurrit Princeps Coniux, atque ea ab Imperatore multo cum gaudio excepta est. Crastino 7. Vespertina in palatio Dianae secundum Leges civiles soleanni ritu conjungetur; futuro Dominico vesperi 8. ecclesiasticam benedictionem obtinebit, atque per Principem Primatem copulabitur.

*De 22.* Cursor Hamburgo nuncium attulit: Daniam Angliae bellum declarasse; addit Monitor: ab Imperatore Gallorum Daniam aere et milite abunde adjutum iri.

*Monachio 17. Aug.* Heri in tantam altitudinem aqua excreverat, ad quantam ab hominum

memoria non pertigit. Constat nubifragium inter Lengries et Tolz singularis hujus phœnomeni causam fuisse:

Matutina 6. hora Isara quinis tantum pedibus, denis pol. humillimam libellam excessit, ut adhuc tempus fuisset munimentum hydraulicum attrahendi, aquæque tumescentiam superiore ex parte prohibendi, quæ tamen attractio repaguli non est in manu hydraulicorum Officialium, 4. præmerid. torrens jam altitudinem 13. ped. 4. poll. attingit. Suburbium supra Isaram, Insula, Suburbia, horti et pars ipsius urbis aquis innatabat; annis ex aliquot multis impensis erecta munimenta et aggeres partim diruti; contra novissima ex biennio excitata sepimenta et aggeres, qui in 24000 pedum longitudine decurrunt, servati, torrentique restiterunt. Eorum, qui dextrum versus siti, ita constructi: ut 1820 pedum extensionem fluvii recipiant, quamobrem is intra hos vix 9 pedum ultra humillimam libellam altitudinem attingit, proin 4 pedibus humilior, quam supra pontem Bogenhausensem; Ad Isaræ pontem vero fluminis altitudo adversus leges omnes hydraulicas per sepimenta, et magnum pontem constricta est, ut vix 300 pedes latitudini ejus pateant, ut tumescentibus aquis, alveum excedere debeat, laevorsum sita opera, et aggeres torrentis vim ab Anglicano horto arcuerunt, Effectus hujus torrentis docuerunt: elevationem in sesqui tertio usque 5 pedes diruti ante aliquot annos tum neo erecti aggeris Isaræ, horto Anglicano necessariam fuisse, et huic solum salutem horti deberi; damnum per aquarum torrentes, magnam lignorum vim quoque abripiendum, tam ærario, quam agricolis notabile. Pons Bogenhusam ducens supra Isaram ante aliquot annos erectus, cujus intervalla tignorum angustiora, quam ut 50-60 pedes longas ratum trabes transmittant, per torrentem ad 2-3 pedes elevatus est. Procul dubio ad declinandas talismodi deinceps eluviones repetita consilia incursur.